

Deus fecit hominem, h. e. marem & foeminam, rectum h. e. sine peccato & prava inclinatione, satisque illuminatum ad unionem ac communionem Dei jam acceptam retinendam, ac majorem per fidem & studium, ipso adjuvante, consequendam. Id autem reperitur tum per testimonium Spiritus in verbo Dei, tum per reliquias imaginis Dei in nobis, quibus idem Spiritus utitur, ad iudicium in cordibus nostris instituendum de nobis. Rom. 2:15. Loquitur autem de protoplastis. Nam in hominibus, qui ex illis nascuntur, talis rectitudo non apparet. Vide Rom. 5:12. 14. 7:5. Job. 14:1.

ββ. κατὰ θεόν. Sed ipsi quasi verunt ratiocinia multa. v. 29. h. e. omisso timore Dei & cura verbi eius, ad quærendum eum secundum præscriptum eius, & agnoscendum atque æstimandum gratiam in ipsos collatam, illecti specie majoris similitudinis cum Deo, quæ in cognitione boni & mali consisteret, h. e. nimix sapientiæ, converterunt ingenium suum ad ratiocinationes et colores excogitandos, cur facere contra monitum Dei neque pro gravi peccato neque re periculosa haberent. Fingere enim possumus, Evam primitus verbum Dei de abstinentia certi fructus ita accepisse, quasi is fructus venenatus et pestifer per se etiam tactu esset; deinde, hac opinione ei demta, existimasse, quod Deus voluerit hunc fructum *σοφίας* sapientiæ autorem in præmium probandæ interim obedientiæ differre; neque esse adeo periculosum ante tempus tantum bonum consequi. Ita sanè prima radix peccati esset neglectus verbi et gratiæ donatæ ommissa observatio, ac defectus timoris, qui impediret tentare, quod non cum fide et scientiâ voluntatis Dei fieri poterat. *Chischbonóth* formâ foemininâ; sed genere masculino, ut in singulari.

C. VIII.
v. 1.

1. Humana sapientia & lætitia. Hic est
 N. Θείας. Sapientiam & scientiam, quæ liquidò res quasvis cognoscit, esse rem inæstimabilem. *Quis est, ut sapiens?* hoc est, quid preciosius, laudabilius, optabilius fieri potest, quàm sapientia? *Et quis* sive quàm beatus est, qui novit interpretationem verbi? Aben Esra repetit particulam comparationis, ut, qui novit. *Peschár* Chaldæis est interpretari. Dan. 5:7. 2:4. alioqui pro *Himmás* ponitur Ex. 16:21. Est ergo propriè resolutio, *Αἰσθητικῆς*. unde pro *σαφηνείᾳ* & perspicuitate evolutioneque nodorum ac difficultatum ponitur. A. E. per metathesin à *Parásch* derivat.

2. thesis